
DR. ERNST DARMSTAEDTER
No. 815
COLLECTION

10









A



Fructus Areccæ ab inuoluero separatus.

D



Fructus Areccæ in medio dissectus.

G

Semina Siry Boa e loculamentis exemta.

G

E

Fructus Siry Boa dictus adhuc integer.

F

Fructus Siry Boa in medio dissectus

C



Fructus Areccæ, inferiorem partem ostendens.

B



Fructus Areccæ, partem superiorem repræsentans.

Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

ARECCA INDORVM

QVAM

IVSSV ET AVCTORITATE

INCLVTI MEDICORVM ORDINIS

PRO LICENTIA

SVMMOS IN MEDICINA HONORES

LEGITIME CAPESSENDI

EXAMINI PVBLICO SVBMITTIT

A. D. XI AVGVST. A. O. R. CIↃ IↃCCXXXIX

AVCTOR

ANDREAS IACOBVS KIRSTEN

ALTORFINVS

PHYSICVS GRAEFENBERGENS. DESIGN.

ALTORFII NORIC.

TYPIS IOH. GEORGII MEYERI ACAD. TYPOGR.


WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY



PRAEFATIO.



Aud exigui momenti ſunt illa, quae SENECA, *laudatiſſimus inter omnes ueteres Scriptor, in epiſtola* CIIII, *de peregrinatione diſſerit:* Inter ſtudia uerſandum eſt, *inquit*, et inter auctores ſapientiae, ut quaeſita diſcamus, nondum inuenta quaeramus. Sic eximendus eſt animus ex miſerrima ſeruitute in libertatem. *Digna uidentur haec uerba, quae omnibus, qui ſtudiis operam nauant, et inprimis medicinam facere conſtituunt, quotidie ante oculos uerſentur, diligenterque conſiderentur. Quam multa enim in regnis naturae occurrunt occulta, quae neſcimus! et quam uaria quidem in iis detecta inueniuntur, quorum uero facultates nemo adhuc perueſtigauit! Producam ſpecimen huius ueritatis e regno uegetabili. Quod etſi multa ſecura et ſatis cognita remedia nobis in ſolatium miſerrimae noſtrae uitae exhibeat; attamen nec pauca adhuc, quae maxime ad uſum et facultatem plantarum pertinent, abſcondita gremio ſuo complectitur. Itaque omnino operae pretium facturi uidentur cultores artis ſalutaris, ſi in cognoſcendis, dis-*

cernendisque plantis ſequantur ductum peritiſſimorum in ſtudio Phytologico uirorum, RIVINORVM, HERMANNORVM, TOVRNEFORTIORVM, RAIORVM, LINNAEORVMQVE; *utpote qui in plantis in ordinem redigendis, earumque charactere determinando, accuratiſſime feliciſſimeque elaborarunt, ita, ut ſummas pro tantis laboribus iis debeamus gratias. Non minus tamen antiquorum etiam medicorum ſcripta bene attenteque ſunt euoluenda; propterea, quod hi non quidem in inueniendis notis characteriſticis, magis tamen in eruendis plantarum uirtutibus, occupati fuerunt. Verum quidem eſt, non exiguam praeſtantiſſimorum ex regno uegetabili deſumptorum remediorum, quibus uſa eſt antiquior aetas, temporis tractu, aut neſcio quo fato, parum aeſtimari, et fere prorſus exoleuiſſe: attamen quaedam ex his, ſucceſſu temporis, nouam quaſi lucem aſpexerunt, auſpicatoque in uſum ſunt uocata. Idem fere fatum* Arecca *paſſa eſt, cuius uirtutes miris nominibus ab antiquis Medicis ſunt praedicatae; a recentioribus uero, perpaucos ſi exceperis, uſus eius neglectus et parui factus eſt. Igitur conſultum putaui, poſt decurſum ſtudiorum meorum academicorum, in hac inaugurali diſſertatione* Areccam *quaſi poſtliminio in ſcenam producere, et pro uirium mearum conditione,* Palmae *iſtius* arecciferae *foetum, eiusque uirtutes medicamentoſas, et quae ſunt alia, rite explicare.*

Faxit Numen diuinum, ut hic labor bene feliciterque eueniat!

§. I.

§. I.

DVm itaque de *Arecca* nonnihil commentari constitui, primum me ad nominis, deinde ad rei ipsius, considerationem, accingam, quicquid humeri hic ualeant, uiresque permittant, periclitaturus. Propositi ratio.

§. II.

Quod adeo ad *Etymologiam* attinet; facile quidem sibi quis persuadere posset, (qui Graecos nomenclatores euoluerit), fructum *Areccam* forte nomen suum a Graeco uocabulo ἄρακος, uel ἀρακὶς, accepisse. Cum autem hae uoces Graecae, non arboris fructum; sed plantam aliquam ex leguminum genere significent, ipsique auctores, GALENVS *a*) nempe, et THEOPHRASTVS ERESIVS, *b*) (qui primi de hac planta mentionem fecerunt) nil aliud, quam leguminis speciem sub hoc nomine intellexerint; patet inde, *Areccae* nomen minime a uoce Graeca ἄρακος ortum suum sumpsisse; multoque mihi ueri similius est, id uocabulum barbarum esse. Qua de causa nec mihi displicet GARCIAE ab HORTO *c*) sententia; utpote qui tradit, fructum *Areccam* nomen suum accepisse a regione quadam Indiae huius nominis; quo nomine inprimis Nobiliores Malabariae, nec non Lusitani, in Indiis habitantes, utuntur; a uulgo autem *Pac* uocatur. De Etymologia nominis *Areccae*.

§. III.

Nonnulli quidem fuere, qui sub nomine *Arecca* uarias species fructuum intellexerint: siquidem CHRISTOPHORVS A COSTA, *d*) et, qui hunc secutus est, PETRVS POMET, *e*) dum in describendis *Myrobolanorum* generibus occupati fuere, De Homonymia nominis *Areccae*.

a) Libr. I. *de aliment. facultat.* Cap. 17. *b*) *Histor. Plantar.* Libr. 8. Cap. 8. *c*) Libr. I. *Arom. ex edit.* CAROL. CLVS. p. m. 104. *d*) *Libr. Arom.* p. m. 265. *e*) *Histoire des Drogues*, *Chap.* 36.

Chepulorum genus, *Aretcam*, ſiue *Arecam*, uocarunt. Alii, ut IACOBVS GOHLIVS, *f*) ſub nomine *Arec*, deſignauit arborem aliquam, in India Orientis quidem naſcentem, ſed ſpinoſam, fructusque Ciceris magnitudine, colore rubeſcente, ferentem. Alia etiam arbor, in *Horto Malabarico*, *g*) ſub nomine *Areca-Goli* deſcribitur depingiturque, quae autem minime ad familiam noſtrae *Areccae* pertinet, ſed ab ipſis auctoribus huius libri, *Ficuum Malabaricarum* claſſi annumeratur. Quod autem ex antea enarratis hiſce arboribus, ne unica quidem cum noſtra arbore *Areccifera* conueniat, haecque minime ex illarum genere ſit, latius infra oſtendam. Sunt etiam, qui potum aliquem, Indis valde familiarem, *Arek* uocarunt; quem Indi ex liquore *Suri*, exſtillante ex *Palma* quadam *Coccifera*, per fermentationem, uino noſtro aduſto haud abſimilem, (quod quidem ad colorem et ſaporem attinet,) parare ſciunt. Qui potus uero male *Arek*; ſed, ſicuti CASPARVS BAVHINVS *h*) annotauit, melius *Arak* dicitur.

§. IV.

Quibus aliis nominibus *Arecca* deſignetur?

Aperiretur mihi quidem nunc patentiſſimus campus, in quem exſpatiari poſſem, ſi uellem ſingularum Orientis gentium, ſingula nomina, quibus *Areccam* deſignare ſolent, recitare. Quia autem officii mei ratio hoc non poſtulat; iam duntaxat uſitatiora nomina, quae ex auctoribus annotare potui, breuiter exponam. Qui plura deſiderat, et his delectatur, eum dimitto ad CHRISTIAN. MENTZELIVM, ſolertiſſimum quondam Botanicum, qui in colligendis ſynonymis plantarum uocabulis multum ſtudii collocauit. Initium ergo faciam a Luſitanorum voce; quia Luſitani ex primis fuere, qui fructum hunc ſub nomine *Arecca* in Europam apportarunt. Ab his uocatur *Arecquero i*); a Gallis autem *Arec k*); ab

f) *Lexic. Arabico-latin.* p. 76. g) Part. I. pag. 45. h) *Theatr. Botan.* Libr. XII. Sect. VI. pag. 509. i) DAPPERI *deſcript. Aſiae*, p. m. 4. k) *Hiſtoire de l' Academie de Science de Paris*, Anno 1720. p. 442.

ab Anglis uero, teste IACOB. THEODORO TABERNAMONTANO *l*) *Drunken Date tree*; et a Belgis, *Arecca Nooten*. Orientis gentes, ut Malayi, fructum hunc, sicuti §. II. annotauimus, *Areccam* et *Pak*, salutant. Malacenses, nec non Iauani, illum *Pinan*, *m*) uel *Pynang*, appellant. Arabes denique, utpote qui primi de usu huius fructus in medicina, passim in suis scriptis mentionem fecerunt, *Fausel*, uel *Foulsel*, illum nominarunt. Quo uocabulo AVICENNA *n*) etiam, et SERAPIO *o*), utuntur; quamuis apud priorem in uersione Latina corrupte *Fielsel* et *Fusel* legatur. Quidam *Areccam*, uti PETR. ANDR. MATTHIOLVS *p*), solo nomine Auellanae Indicae designarunt. Quod autem hic Auctor nec *Areccam* recte cognouerit, in eiusque descriptione grauissime errauerit, satis iam IOH. BAVHINVS *q*) monstrauit. In nostra uernacula lingua, fructus hic *Arecca* Nuß, et a quibusdam, ut a SAMVELE DAHLE *r*), et ROBERTO KNOKS *s*) (licet male) Indianische Nuß, uel *Betel*-Nuß, uocatur.

§. V.

Sufficiant haec de *Areccae* denominatione. Iam quod ad eius descriptionem attinet, mihi *Arecca* dicitur, Arboris Indiae Orientalis, *Palmae Arecciferae* dictae, fructus. Nuci moschatae maiori magnitudine similis, non tamen oblongae et rotundae, sed magis conicae figurae, in inferiori parte sessilis, durioris consistentiae, extrinsecus cinereo, aut subfusco colore, tenuibusque rugis; intus uero uersicolore uenarum discursu signatus, odoris plane expers, saporis uero paululum amaricantis, et adstringentis, inclusus inuolucro uilloso eique ouali et exterius subflauo. Quia uero ipsemet

Descriptio fructus *Areccae*.

B huius-

l) *Herbar. Cura* CASP. BAVH. edit. p. 646. *m*) GARZ. AB HORT. *L. I. arom.* p. m. 104. *n*) Lib. II. Cap. 262. *o*) *Libr. Simplic.* Cap. 345. *p*) *Herbar. Cura* CAMERAR. edit. pag. 100. *q*) *Histor. plant. Libr. III.* p. 390. *r*) *Pharmacolog.* Part. II. p. 347. *s*) Beschreibung der Insul Zeilan. pag. 25.

huiusmodi fructum possideo, eius formam et interiorem et exteriorem, in tabula aenea, nostrae dissertationi adiecta, delineandam curaui, quam lector beneuolus facile oculis suis subiicere potest.

§. VI.

Arecca est fructus *Palmae Arecciferae.*

Diximus in hac descriptione, *Areccam* fructum esse arboris Indiae Orientis, quae *Palma areccifera* dicatur. Rem uero omnino ita se habere, hanc arborem etiam ueteribus scriptoribus, in scientia Botanica, sub Palmae specie cognitam fuisse, ex horum descriptione satis clare patet. Id quod testantur uerba ipsius THEOPHRASTI ERESII, *t*) ubi de uariis Palmae generibus mentionem facit: Ἕτερον δὲ, ὗ τὸ φύλλον τὴν μὲν μορφὴν πρόμηκες, τοῖς τῶν στρουθῶν πτεροῖς ὅμοιον· ἃ παραλλάττουσι παρὰ τὰ κράνη, μῆκος δὲ ὡς διπηχαῖον. i. e. *alia, cui folium praelongum, simile pennis struthionum: quae super galeis imponuntur, longitudine duorum cubitorum.* Haec uerba SCALIGER in animaduersionibus suis in THEOPHR. ERESIVM ita explicauit: *Nos saluo meliore iudicio, arborem* THEOPHRASTI *delineari putamus, quam* Areccam *Indi, et Arabes* Fausel, *uocant.* In recentioribus autem scriptis, uti in *Horto Malabarico*, in quo icones arboris integrae, una cum floribus fructibusue, egregie exprimuntur, *Palmae* classi etiam haec arbor annumeratur, et nomine *Caunga* designatur. PLVKENETVS *u*) totam arborem, *Puvvakighabam Zeylanensium* uoeat, et in illo recentissimo de plantis Zeylanennensibus scripto, a doctissimo et in scientia Botanica tam egregie uersato DOM. D. BVRMANNO, sub titulo *Thesauri Zeylan. vv*) edito, uocatur haec palma *Arek Puvvak*, et *Areceri Puvvakvvala.*

§. VII.

t) *Histor. Plant.* pag. 347. *u*) *Almagest. Botan.* Tom. I. pag. 235.
vv) pag. 32.

§. VII.

Proximum nunc eſt', ut de his dicam, quae arborem conſtituunt, et quae ad ſubſtantiam figuramque eius pertinent. Quia autem hocce *Palmae* genus noſtris regionibus plane incognitum eſt, cum tamen aliis generibus Palmarum diuerſi horti Magnatum et Academiarum hodie exornentur: igitur operae pretium duco, illos auctores in auxilium uocare, qui ipſi regiones Orientis perluſtrarunt, ut eo melius ex horum ſcriptis arborem deſcribere poſſim. Quod ad notam eius Characteriſticam attinet, arborem hanc IOH. RAIVS *x*) ad claſſem arborum caudice ſimplici, non ramoſo, gaudentium, refert. Neque aliter, ſecundum CAROLI CLVSII *y*) et aliorum auctorum deſcriptionem, haec arbor ſeſe habet; cum dicant, *eam in magnitudinem eximiam aſſurgere, truncum eius aequali propemodum ubique craſſitudine eſſe, ſpithamae unius craſſitie, maxima craſſitie ad radicem, in ſummitate paulo minori cortice obductum uiridi, claro, adeoque laeui, ut nullum adſcenſum praebeat, niſi adaptatis ad pedes laqueis, aut uinculis, cincto per interualla caudice fune, ex ſparto, aliaue materia, confecto.* Qua de cauſa ad fructus colligendos quoddam genus hominum, quos ſcanſores uocant, requiritur, qui etiam, ſicut ENGELBERT. KAEMPFERVS *z*) uult, ad collectionem Dactylorum, nucumque *Cocos*, utiliter adhibentur. *Radice* autem *Palma Areccifera* gaudet, ſecundum deſcriptionem Horti Malabarici, *a*) *nigricante, oblonga craſſitie unius Spithamae radiculas albicantes et rufas, quae intus lignoſo filamento ſunt, ex ſe diffundente. Ex caudicis uero ſuperiori parte ordine decuſſato bini et bini rami deinde mutuo emergunt;* qui non deorſum, uti in aliis *Palmae* ſpeciebus, ſe inclinant; ſed, ſicuti CAROLVS CLVSIVS *b*) ex uerbis

Caudex; Radix, Ramique *Palmae Arecciferae* deſcribuntur.

x) *Hiſtor. plantar.* pag 1363. *y*) in GARZ. AB HORTO Lib. I. *Arom.* pag. m. 188. *z*) *Amoenit. exotic.* faſc. IV. p. 710. *a*) Part. I. pag. 9. *b*) *Libr. I. arom.* pag. 188.

FABRICII loquitur, potius ſurſum uergunt, et tum demum infle-ctuntur; ac quia ab exterioribus interiores rami circumdantur, Caput quaſi oblongum in ſummitate arboris conſtituunt, ut ab hominibus procul intuentibus orbem conficere uideantur. Hi autem rami, et quidem exteriores, (ſicuti iidem Horti Malabarici celeberrimi autores annotarunt, et qui latius de horum Figura ſubſtantiaque egerunt, (pede fiſſo ac rupto, poſt ſucceſſiua ſua tempora, decidunt.

§. VIII.

Capſae uaginiformes *Palmae arecciferae* deſcribuntur.

Pergimus porro ex ſplendidiſſimo hocce opere, cui titulus *Hortus Malabaricus*, deſcriptionem ulteriorem arboris noſtrae oſtendere. Quia uero hic liber non in omnium manibus reperitur, neque quisquam alius ex auctoribus Botanicis hucusque tam clare diſtincteque Palmam hanc *Arecciferam* deſcripſit: itaque, ut et porro de hac ſatis claram notitiam accipiamus, ipſa uerba auctorum huius ſplendidiſſimi operis apponam, et, quae forſan addenda uidentur, aliunde addam. *In capitulo* Caungae, aiunt, *quod in ſummitate eſt intra pedes ramorum foliaceorum, uaginiformes capſae, in quibus faſciae ramorum ac ſurculorum cum floribus et fructibus includuntur, proueniunt, infra ſingulos una. Sunt autem hae capſae oblongae, quatuor plus minus ſpithamas aequantes, in una parte, qua pedi exteriori accumbunt, rotundae; in altera autem, qua pedem interiorem complectuntur, caui ambitus, ſuperficie glabra et aequabili, ad ſummitatem in medio partis cauae ſtria lacunoſa; in cuius tractu rumpunt ſulcatae, colore exterius primum uiridi-diluto albicante et ſubflaueſcente, poſt cum aetate flaueſcentes, interius coloris candidi: capſa exteriore accreſcente ramus exterior, qui eam arcte includit, ui detruditur; faſciae ramorum et ſurculorum, quae in capſis incluſae conſtant uno pede plano, quo caudicis ſummitati circumpoſitae, ſuntque in ramulis*

mulis

mulis crassioribus fructibus teneris dotatae, et in surculis tenuibus, qui infra exortum fructuum erumpunt, spicis solis seu gemmis florum in duabus oppositis partibus obductae; fasciae autem hae in ramis ac surculis primum sunt albicantes, seu flauo-albicantes, deinde uiridescentes, cum uetustiores sunt, colore uiridi fusco durae. Reperiuntur autem in eiusdem arboris capitulo quatuor plus minusue capsae.

§. IX.

Flores denique *Palmae arecciferae* ita in hoc citato opere describuntur: *Spicae florum*, dicunt, *summitati surculorum obuersae, suntque paruae et angulatae et albicantes, in tria folia rigida et cuspidata ac crassiola se aperientes, continentque in medio stamina nouem albicantia tenuia sine ullis apicibus, tria longiora ex flavo albicantia, quae a sex minoribus magis flauis cinguntur.* Quod ad odorem horum attinet, illos, CHRISTOPHORVS A COSTA *c*) fere inodoreos esse censet; cum tamen alii, inter quos etiam IOH. HVBNERVS, *d*) illis odorem, et quidem non exiguum, attribuunt, dum dicunt, illorum odorem ad Liliorum conuallium odorem quam maxime accedere. *Fructus deinde*, (aiunt autores Horti Malabarici) *e*) *qui fasciis ramorum adhaerent, cum sua magnitudine iusta sunt, oblongo rotundi sunt, in ima et superiore parte strictiores, inuoluti cortice exteriori crasso, ac constantes pulpa ruso-rubescente, et intus in medio pulpae medulla albicante; cum autem teneri sunt hi fructus, candidi sunt ac nitentes surculis albicantibus appendentes, forma non rotunda, sed angulata, maxima parte foliis calycis oblongo-rotundiolis et mutuo circumuolutis circumprehensa, interius constantes pulpa densa albicante, quae saporis nullius et adstringentis; postea cum aetate pulpa molli sunt et pauca continen-*

De floribus et fructibus Arecae.

 tes

c) *Libr. arom.* p. m. 261. *d*) Kunst und Handlungs-Lexicon, etc. p. 141.
e) Part. I. p. 10.

tes in medio pulpae humorem clarum ac multum, qui cum pulpa adstringentis saporis est, suntque tum dicti Tanni-Painà; *deinde pulpa interiori magis aucta sunt, ac nullum humorem in medio continentes, suntque tum fructus dicti* SchalémbaPainà, *cum aetate maiori pulpa magis et magis indurescit, nasciturque in medio in longitudine medulla albicans, diciturque, cum pulpa et medulla minus dura est*, Aria-Décca, *cum durior*, Adecca; *cum maxime dura est et cortex aureo-flauus*, Palécca. *Est autem pulpa forma primum ouali, habens cuspidem acutiorem ad summitatem fructus: est uero pulpa, cum tenera et humida est, colore albicante subflauo, forma oblonga et angusta et ad summitatem cuspidata, dura, colore ex rufo rubescente, forma est minus oblonga ac crassior, ac magis ad conum accedens, cuius basis est in ima parte fructus. Pulpa, seu dura, seu mollis, cum* Betel *addito momento Calcis manditur, maxime autem mollis. Cortex pulpam circumdans corticula exteriori densiori et duriori, quae superficie plana et glabra est, ac primum albicans; deinde uiridis, post cum pulpa ac medulla dura est, aureo-flaui coloris obductus, intus constans carne primum tenera albicante, quae maiori quantitate est ad imam partem fructus, ac corticula exteriori decisa cum pulpa fructus in comestione* Betel *simul manditur. Cum fructus uetustior est, filamentis lignosis, quae primum coloris albicantis sunt, dein cum corticula exterior aureo-flaua est, coloris quoque aureo flaui seu crocei sunt, est pertextus, estque tum adeo arcte pulpae superficiei adhaerens, ut non facile deglubi possit: intra medullam albicantem, in basi fructus, in medio oculus rotundiolus albicans conspicitur, qui germen fructus est, surculum edens.* Hunc *oculum* satis distincte conspicere licet in nostra aenea tabula, sub litera C. in medio fructu notatum. Haec igitur sunt, quae Auctores Horti MALABAR. de *Palma Areccifera* annotarunt. Cum autem de purificatione fructuum *Areccae* ab inuolucro suo, aliisque sordibus, nec non de exsiccatione horum

horum fructuum, plane nullam mentionem fecerint, nunc ea adiiciam, quae ex ipſo ore illorum, qui has terras permigrarunt, teneo, aliorumque Scriptorum narrationi conueniunt. Fructus igitur *Areccae* bene maturi, ſi non ſponte decidunt, per ſcanſores, aut alio modo decerpuntur, in magnosque aceruos colliguntur, et ſub terra condiuntur, in qua tamdiu etiam incluſi permanere debent, usque dum exterius inuolucrum in putredinem abeat et delabatur. Quae adhuc fructibus adhaerent, haec peculiari ligneo inſtrumento abraduntur; tamdiu hoc opus etiam continuatur, donec fructus plane glabri euadunt, qui deinde radiis ſolaribus exponuntur, leniter exſiccantur, uſuique aſſeruantur. Nonnulli uero tradunt, Indos hanc ob cauſam fructus *Areccae* ſub terra condere ſolere, ut guſtu euadant gratiores.

§. X.

Vbi autem Palmarum Arecciferarum patria ſit, et quae in ipſa cultura earum attendenda ſint, paucis nunc exponam. Ex prioribus iam dictis, ut puto, ſatis conſtat, ſolam Indiam Orientis harum *Palmarum arecciferarum* patriam eſſe, et quidem certas regiones huius Indiae prae aliis harum arborum copia abundare. GARZIAS ab HORTO *f*) enim ipſe tradit, fructus *Areccas* quidem in quibusdam regionibus, ut GVZZARATTE et DECAN, ſed minus frequenter, naſci; maxima autem in quantitate in MALABARIA et inſula Zeilan. Quapropter ex his regionibus et inſulis, aliae, ut MALDIVAE inſulae, quae his fructibus deſtituuntur, aluntur; multum etiam fructuum *Areccae* in ORMVZ, CAMBAYAM, et alios locos, defertur. Optimi fructus proueniunt, ſecundum praedictos auctores, in MOMBAIM Inſula. Caeterum uerum eſt, in nullis regionibus Indiae Orientis, *Palmam Arecciferam* magis luxu-

De patria et cultura Palmae Arecciferae.

f) *Libro I. arom.* ex edit. CAROL. CLVSII p. m. 104.

luxuriare, quam in iis ad mare poſitis. Quapropter idem auctor ſcribit: Arecciferam Palmam *maritima amare; mediterranea uero contemnere.* SERAPIO *g*) quidem tradit, Arabiam prorſus non alere *Areccam*; ſed recte GARZIAS AB HORTO *h*) annotauit, hanc ſententiam non intelligendam eſſe de tota Arabia; ſed ſaltem de mediterraneis Arabiae locis. Hac in re adhuc plures auctores cum GARZIA AB HORTO conſentiunt; quod etiam maritimi Arabiae loci, ut DOFAR et Xaêl, ſi non in magna copia, attamen in exigua, *Palmas Arreciferas* gignant. Peculiarem uero incolae illarum regionum, ubi *Arecciferae Palmae* proueniunt, plantandi modum tenent. Ex quibus incolis praecipui Zeylanenſes ſunt, qui, teſte ROBERTO KNOKS, *i*) talem propagandae ſobolis harum Palmarum modum obſeruant. Cum enim ex maturis decidentibus fructibus *Areccae* in terram ſeſe recondentibus, ſponte ſucceſſu temporis nouae arbusculae e terra exſurgere ſoleant; hae autem pleraeque, propter ingentem copiam aliarum prope ſe prouenientium ſtolonum, iterum pereant, aut, ſi etiam incrementum aliquod acquirant, ſteriles euadant, propter defectum nutrimenti: igitur, ne hiſce ex terra propullulantibus cotyledonibus, primis in uiis ab uicinis exſurgentibus ſtolonibus alimentum adimatur, eaeque hac de cauſa plane exſtinguantur, tunc ubi cotyledones harum *Palmarum Arecciferarum* ad aliqualem magnitudinem peruenerunt, eximuntur e terra, ad aliquot etiam paſſus in alias terras feraces plantantur, ut radices ſuas liberius diffundere citiusque creſcere ualeant. Si itaque talem ordinem incolae obſeruant, aequali deinde trunco hae arbores in altitudinem exſurgunt, ut Palmeta umbroſa, his regionibus ualde familiaria, aemulentur. Sique terra calida eaque arenoſa gaudent, quinto a ſatione uel trans-

---

g) Libr. Simpl. Cap. 345. *h*) *Libr. I. arom.* ex edit. CAROL. CLVSII *p. m.* 104.
i) Beſchreibung der Inſul Ceylon, p. 26. et ſeq.

transplantatione anno, aut ſeptimo, fructus proferunt, manentque deinde ad trigeſimum usque annum, uel ultra, uegetae, fructusque proferentes. Praeterlapſis autem his annis langueſcunt, et, ſi quod utplurimum accidit, quinquageſimum annum ſuperarint, ſemper fere pereunt. Vt autem in his praedictis Palmetis, poſſeſſores *Palmarum Arecciferarum* ſciant, quae ex arboribus unicuique poſſeſſori propria ſit, inde has denotare ſolent ſigillo quodam, uel loco huius ad radices arboris lapidem, nota Characteriſtica poſſeſſoris ſignatum, intrudunt; uel aliis placet, alias arbores hiſce adplantare, ex quibus cognoſcere ualeant, ad quem haec uel illa *Palma Areccifera* pertineat.

§. XI.

Praemiſſa nunc deſcriptione arboris *arecciferae*, eiusque patriae, et aliarum rerum, quae circa hanc monenda erant, nunc agendum eſt de huius arboris fructu, qui eſt ea ipſa *Arecca*, de qua diſſerere ingreſſus ſum. Varias autem *Areccae* ſpecies auctores Botanici, et alii, deſcribere ſolent, quarum uarietas tam a figura externa, internaue, quam etiam a colore, ſaporeque, dependet. Quod ſi autem diuerſitatem horum fructuum accuratius inſpiciamus, patriam ad eam plurimum conferre puto. Quemadmodum enim noſtris etiam in regionibus ſaepiſſime accidit, ſi e. gr. pyrorum, malorum, prunorumue arbores, ab hoc loco in alium locum, cui alia terrae qualitas, aliusque aër, ſitusque eſt, ut eae utplurimum fructus prioribus aut ſucculentiores, aut graciliores, maiores aut minores, proferre ſoleant: ita eadem mihi conditio uidetur *Palmae arecciferae* eſſe Cuius quamuis unica ſaltem ſpecies deſignetur ab auctoribus; magna tamen eius fructuum uarietas apud plurimos auctores deprehenditur. Ob hanc cauſam audeo affirmare, uarietatem illorum fructuum ſaltem a patriae, ſitusque, conditione dependere. Quam meam ſententiam corroborare uidetur IOHANNES IONSTO-

De variis Speciebus fructuum *Areccae.*

NIVS *k*), qui quatuor ſpecies fructuum *Areccae* recenſet, eorumque uarietatem maxime a patria deducit: *Alius fructus eſt*, inquit, *uno latere preſſior, altero latere latior. Alius minus nigricantior; quod genus* Checaninum *uocant, et in regione* Cochin *prodit, ſapore in maſticatione ligneo; humectat nihilominus os, et rubore ac nigredine inficit, ut uelut cruore madere uideatur. Alius eſt, a cuius maſticatione homo, ut ebrius, in uertiginem rapitur. Quod autem malum, iuxta plurimorum auctorum ſententiam, immaturo fructui adſcribendum eſt; cito enim perit. Eſt etiam candidus fructus, quem inſula Zeylan abunde profert.* Adhuc apud alios auctores, plures ſpecies *Areccae* depinguntur, et deſcribuntur, qui fructus minime autem ad claſſem fructuum *Areccae* pertinent, ſed melius ad auellanarum Indicarum familiam referuntur. Nos hic nullam aliam ſpeciem intelligimus, quam illam, quae non ſolum cum hodiernorum, ſed et Arabum auctorum, inprimis SERAPIONIS, deſcriptione conuenit. Quem fructum DOMINICVS CHABRAEVS, *l*) dum uerba ISAACI EBEN AMRAM illuſtrare cupit, ita deſcribit: *Fauſel* eſſe fructum, magnitudine, colore, *Nucis moſchatae* ſimilem, rugoſum, ſaporis amaricantis. Haec uero omnia cum noſtra *Arecca* conuenire, ex deſcriptione huius fructus a nobis data patet. Qui autem plura de diuiſionibus fructuum *Areccae* cognoſcere cupit, cum in nigros, rufos, cinereos, et hi iterum in ſeſſiles et turbinatos, diuidantur; illi IOH. BAVHINVS *m*) facile ſatisfaciet.

§. XII.

Quis uſus Radicum, Ligni, et Ramorum, Palmae Arecciferae?

Quia autem non ſoli fructus *Palmae arecciferae* ab ipſis Indis magni aeſtimantur; ſed et alia ex iſta arbore horum uſui inſeruiunt, magnique commodi ſunt; igitur neceſſe eſſe putaui, ea non praeterire, harumque rerum uſum, tam medicum,

k) *Hiſtor. Plantar.* L. II. punct. 11. *l*) *Sciagraphia et Icon. Stirp.* p. 29.
m) *Hiſt. Plant.* Libr. III. pag. 390.

cum, quam mechanicum, in ordine exhibere. Radices itaque *Palmarum arecciferarum* decoctae, perhibentibus auctoribus HORTI MALABARICI, mederi dicuntur ori ſulcato; et, ſi cum hoc decocto labia irrigentur, et os bene ſaepius diluatur, feruntur puſtulas in his contentas egregie remouere. Lignum *Areccae* ad uarias res non exiguum praebet uſum: nam ex hoc ligno, quod uariis ſtriis exornatum eſt, uaria inſtrumenta mechanica, ut baculi, patellae, nec non diſci conficiuntur. Ex illo autem ligno non ſtriato, ſicuti ſaepius iam citatus ROBERTVS KNOKS teſtatur, aſſeres ſcinduntur, et reliquum de ligno, quod durioris ſubſtantiae eſt, ad aedificia ſtruenda utiliter adhibetur. CHRISTOPHORVS A COSTA *n*) tradit, quod Indi ſciant ex hac arbore uirgas parare, ad crocodilos uenandos; quem modum uenandi ita deſcribit: *Cum autem fragilis*, inquit, *et fungoſa ſit arboris huius materia, frangitur difficulter; idcirco uirga duorum digitorum craſſitudine ex hac arbore parata crocodilum, cum in aqua, tum in terra, facile retinere poteſt; ſi per eius fauces transmittatur, (hac ratione enim illos uenari ſolent, ut ſaepius conſpexi.)* Non autem ſolum lignum et radices, ſed et emergentes ex capitulo Palmae arecciferae, uaginiformes capſae, quibus faſciae ramorum ac ſurculorum cum floribus ac fructibus includuntur, quarumque figuram, texturamque §.VIII ſatis clare exhibuimus, Indis in peregrinationibus magno commodo ſunt; quippe his propter figuram concauam texturamue ſatis denſam et coriaceam, marſupiorum loco, utuntur; in quibus, perhibente eodem ROBERTO KNOKS, non ſolum carnes aſſeruare ſolent, ne tam facile ex ingenti iſtius climatis calore in putredinem abeant: ſed etiam in his notabilem copiam fluidorum, ut olei, et aquae, ſecum uehere poſſunt. Iis autem Indis alias uagabundis dictis, ſemperque in locis incultis, aut maxima ex parte in deſertis, uiuentibus, quibus ut-

n) *Libr. Arom.* p. 261.

plurimum curta ſupellex, iis dico, inſeruiunt hae capſae uaginiformes, patinarum loco, ex quibus *oryzam* in pultis formam redactam, ut quotidianum fere uictum, comedere ſolent. Ramis denique *Palmae arecciferae* propter elegantem eumque uiridem colorem, flexibilitatemque, annotante IOH. HVBNERO *o)*, Indi, exornare ſolent portas aedificiorum ſuorum, in quibus ſolennia celebrantur, utiliterque iidem rami in hortis adhibentur ad puluinos tegendos, ne plantae in his contentae a radiis ſolaribus comburantur. Ex hisce autem ramis, qui adhuc teneri ſunt, ſuccum exprimunt, quem cum oleo quodam, cui *Schirgelim* nomen, (Indis in uariis morbis tollendis ualde familiari) miſcent, mixtumque hoc interne ſumptum, ſecundum clariſſimorum auctorum Horti MALABARICI *p)* narrationem, multum conferre dicitur ad lumbricos necandos. De inuolucro fructuum *Areccae* ualde uilloſo, filamentisque lignoſis obſito, teſtatur, CHRISTOPH. A COSTA *q)*, quod hoc ualde idoneum Indis ſit, ad dentes repurgandos.

§. XIII.

Praecipuus uſus *Areccae* apud Indos conſiſtit in quotidiana maſticatione.

Quod denique ad ipſorum fructuum *Areccae* uſum pertinet; ſcimus ex plurimis auctoribus, inprimis ex iis, qui regiones Indiae Orientis permigrarunt, maſticationem horum fructuum Indis adeo familiarem eſſe, ut ſine hac ſe non uiuere poſſe, pro certo ſibi perſuadeant. Notum autem eſt, ex aliis ſcriptis, plerasque gentes, tam orientis, quam occidentis, uariis rebus maſticandis, aut in ore retinendis, peruerſe adſuefieri. *Peruuiae* enim plerique incolae, tradente NICOLAO MONARDE, *r)* folium quoddam *Cocca* dictum, *Myrti* folio haud abſimile, ita ſolent uſurpare, ut illud aut ſolum, aut Calcis tantillo mixtum, aut contuſum, folioque *Peti Peruuiani* commixtum, aut cum calce liquida in orbiculos uel pla-

o) *Kunſt und Handlungs-Lexicon* pag. 141. *p)* Part. I. pag. 10. *q)* *Libr. I. arom.* p. 261. *r)* *Libr. III. Simpl. medicament.* pag. m. 435.

placentulas redactum, per totum diem, ſiue domi, ſiue alibi uerſentur, in ore teneant et maſticent. Nihil iam dicam de *Peruuiae* incolis; Perſae eandem conſuetudinem amant, dum quotidie famigeratiſſimam confectionem *Bangue* aſſumunt, ad cibi uenerisque appetentiam ſibi excitandam. Nec ab hoc more excludere poſſumus Turcas, ſi ſaltem creberrimum horum uſum *Maslachi* conſiderare uelimus; quo puluere uini loco utuntur, conueniente uehiculo, uel condito quodam, ſi hilares eſſe uolunt; et ad animum excitandum, ſi pugnam ineunt. Aegyptii etiam hic non omittendi ſunt; qui, quamquam *Maslacho* non abutuntur, attamen *Allium* maxime amant, ita, ut illud nullo non tempore mandant, et ſecum portent; cum ſibi perſuaſum habeant, ſe *Allii* uſu a plerisque morbis immunes fore. Adhaec plurium gentium huiusmodi exempla proferre poſſem, ſi id quidem nunc agerem. Neque uero neceſſe habemus, harum gentium malos huius generis mores mirari; cum etiam inter Europaeos ſimiles conſuetudines animaduertamus. Vnicam fumationem *Tabaci* pro exemplo adducere ſufficiat; quae iam in uniuerſa Europa in tantam conſuetudinem abiit, ut non ſolum lautioris conditionis homines, ſed et pauperrimi, quotidie fere hoc fumo utantur, et quidam ex iis, (ut ii ad littora maris habitantes, uel in mari nauigantes,) ſaepius inueniantur, qui ſine hoc fumo uiuere ſe miſeros exiſtiment. Taceo illorum peruerſam conſuetudinem, Indorum more peiorem, qui ita *Tabaco* delectantur, ut his fumus non ſufficiat, ſed et hanc herbam maſticare ſoleant. Quid mirum itaque, ſi Indi, praeſertim *Nigritae* inter *Tropicos* habitantes, ſibi maſticationem Areccae elegerint, qua ſanitatem tueri, ſeque a uariis morbis praeſeruare, credunt. Aſpectus quidem hominum *Areccam* maſticantium, teſte IACOB. BONTIO *s*) ualde ſqualidus eſt, ut iis, qui rationem huius rubicundi ex ore manantis liquoris neſciunt,

s) *Tractat. de Medisina Indor.* Cap. XVIII p. 23.

ſciunt, haemoptyſi laborantes uideantur. Hinc merito huc pertinent illi uerſiculi, quos IOH. DAHLE *t*) deſcripſit:

Qui foliis credat commixta calce tenellis
Cum fructu hos Indos ueſci, unde ore cruento
Purpureum eiiciunt ſuccum, tam dentibus atris
Horrendum attingunt, et dentibus ore minantur?

Haec porro continua cruenta manatio ex ore Indorum, apud Sinenſes in prouerbium usque degenerauit; quod IOHANNES NIEVHOF *u*) ſequentibus uerbis poſteritati reliquit: *Dit is een van de drie dingen die de Sinezen voor een Spreckvvoort van t' Landschap* Quantung *gebruiken, te vveten, dat er drie ongevvoone dingen, in dit Landschap zijn. De Hemel zonde Sneeuvv, de Boomen altijt groen, en d' invvanders aetiit Bloet Spuvvend.* Quamuis Europaeis ipſis confitentibus, haec maſticatio, et rubicundus liquor ex Indorum ore continue promanans, tantum non terribilis ſqualidus ſit adſpectu: attamen omnia haec aduenas Europaeos non deterrent ab uſu *Areccae*, ſed potius, ſi per aliquot annos Indiae regiones incolunt, non minus ipſi, quam Indi, hac lue inficiuntur, eaque maſticatione ita delectantur, ut regreſſi in Europam, ibi adhuc hanc conſuetudinem exercere cupiant. Ipſemet noui in Belgio matronam, quae cum per aliquot annos in India Orientis uixiſſet, ſibi quam maxime *Areccae* praeparatae uſum familiarem reddiderat, et quidem ita, ut cum illa in patriam reuerſa eſſet, et *Amſtelodami* marito nupta familiam conſtituisſet, ne quidem per diem ſine maſticatione *Areccae* eſſe potuerit, et intermiſſa aliquando hac maſticatione, uariis incomodis corporis cruciaretur; quae nullo alio remedio citius profligabantur, quam ſola adhibita iſta maſticatione *Areccae*. Eadem fere IOH. BAVHINVS *vv*) refert, et quidem praecipue de Luſita-

t) *Pharmacolog.* Part. II. pag. 349. *u*) *Naukeurige Beſchruving von Sina.* pag. m. 141.
vv) *Hiſtor. Plantar. Libr.* III. pag. 391.

Lusitanis in India, quos hoc cibo ita assuetos esse narrat, *ut sine* Arecca *atque* Betele *uiuere sibi, ἀδύνατον ducant; et mares perinde ac foeminae, tota die, imo etiam noctu*, Areccam *mandant, cum alias dormire nequeant.*

§. XIV.

De modo *Areccae* praeparandae et masticandae.

Modus autem *Areccam* praeparandi, eamque masticandi, uarius existit. Masticatur haec siue sola, siue aliis rebus commixta, siue recens, siue exsiccata. Si recens masticatur, frangi facile potest; sin autem exsiccata; difficilius frangitur. Igitur peculiari instrumento, forfici haud absimili, ad scindendum hunc fructum, Indi utuntur: quod instrumentum, peculiaris structurae causa, IN HISTORIA ACADEMIAE REGIAE Parisiensis Scientiarum x) ita describitur. *Lors qu'on le present entier, on sert en meme temps un instrument propre a le couper, qui est une espece de ciseau, composé de deux branches mobiles, arretées par une de leur extremité, et qui s'ouvre de l'autre. C'est par l'extremité par la quelle de ciseau s'ouvre, que l'on presse l'Arec que l'on met entre ces deux branches pour le couper en tant de parties, que l'on veut: Et de ces deux branches il n'y en a q'une qui est la superieure destinée a couper, l'inferieur ne sert que d'appui pour soutenir cette semence dans le temps de l'effort, que l'on fait par l'abaissement de la partie superieure de ciseau.* Si quando igitur *Areccae* fructus hoc instrumento in frustula redactus est, sumunt Indi (perhibentibus KAEMPFERO, DAPPERO, NIEVHOFIO, LINSCHOTTO, aliisque) *Betel* folium, ex quo prius neruos, folium percurrentes, unguibus digitorum eximunt; inungunt demum folii huius ita parati interiorem superficiem particula calcis liquida ex combustis ostreis conchisque parata, scrupulum fere dimidium pendente; et huic folio deinde frustula ab unico fructu *Arecca* inuoluunt. Omni-

x) Anno 1720, p. 442.

Omnibus his bene conuolutis et clausis, ne quid excidat; bolus hic ore sumitur masticaturque. Tunc primum succum, quem ille bolus elicit, quia ualde acris est, dentesque facile arrodit, exspuunt; alterum uero post longiorem masticationem deglutiunt. Alii ex Indis solum folium *Betel* in ore per breue temporis spatium tenent, et mandunt: ad demulcendum autem huius amaricantem saporem, tandem aliquot frustula Areccae adiiciunt. Alii, perhibente ENGELBERTO KAEMPFERO, *y*) egregio illo scrutatore Indicarum consuetudinum, ex penuria foliorum *Betel*, folia *Menthae* substituunt; quae foliorum *Betel* saporem prae aliis aemulantur. Quidam etiam reperiuntur, qui *Areccam* cum fructu quodam Indiae Orientis, qui gentibus illis *Syryboa*, uel etiam a quibusdam auctoribus *Siugboa*, *uel Zeriboa*, uocatur, mandunt; aut, deficiente hoc, *Caryophillos*, *Cardamomum*, nec non *Cinamomum*, substituunt. Ditiores in India, prout LINSCHOTTVS z) refert, parant ex *Cate*, *Camphora*, *Ligno Aloes* et *Ambra*, pillulas, quas folio *Betel*, prius Calcis tantillo inuncto, (quibus omnibus, etiam tria quatuorue frustula *Areccae* adiiciunt,) inuoluunt, et ita mandunt.

§. XV.

De Confectione et aestimatione *Areccae*.

Illa nunc mixtio, quae ex *Arecca*, folio *Betel*, et calce uiua, siue sub trochulorum siue boli forma, componitur, dici solet *confectio Arecca*, uel *Betel Arecca*; atque haec tam frequenter usurpatur ab omni genere hominum in India uiuentium, ut aliquando in hanc ipsam confectionem incredibiles sumtus impendantur. Hinc MVNDIVS, *a*) *minus mireris*, inquit, *impensas* Mizumae *regis*, Balagatae, *qui fertur in hoc pharmacum singulis annis trigesies mille aureos Lusitanicos impendisse*. Imo ENGELBERTVS KAEMPFERVS testatur, hanc confectionem in regno *Siamensi*, nec non *Malabarico*, tanti pretii

y) *Amoenitat. Exotic. fascicul.* III. p. 649., z) *Vojage ende Schipaert.* Cap. 60. p. m. 84. *a*) BIOXPHETolog. p. 336.

pretii esse, ut pro singulari gratia habeatur, cui a Maiestate *Betelum* dono porrigatur. Pergit idem auctor: *In aulis Malabaricis uidi, non procul a principe stare, qui subinde nouam* Betelem *porrigeret; non digitis, sed furca tenui, argento obducta, et trochorum apparatu in longam seriem adornata; exhibendi hic ritus ad aulae magnificentiam spectabat. In Siamensi curia obtinet, ut illis, qui Regi a consilio sunt,* (Opra *eos uocant)* Betelum *receptaculum praeferatur, quo a Maiestate donari solent, artificiose ex auro, uel argento, uel metallo sequiori, pro cuiuscunque dignitate fabricato. Sine hoc adepto nobilitatis insigni comparere in Regia uel illustrium conuiuio, non audeat. Theca illa adornatur capsella plena calcis ad unguenti consistentiam paratae; spatula ad tractandam calcem facta; forfice singularis structurae, qua* Arecca *findi potest; et loculis ad recipiendum folia, nuces, et ex his composita uolumina, siue trochulos.* Etiam ab aliis populis, *Persis*, *Bensanis*, *Gentivis*, teste SCHVLZIO *b*), ita copiose assumitur haec confectio, ut in omnibus illorum conuiuiis ultimum locum, inter fercula haec confectio *Areccae* obtineat; hanc quidem ob causam, quia credunt, concoctionem eo melius hac promoueri. A plebe Indorum non minus frequenter haec confectio usurpatur, ita, ut, si amicis, uel aliis, aliqualia officia humanitatis praestare cupiunt, sibi inuicem in plateis obuenientibus *Areccam* hanc praeparatam offerant. Imo in hac confectione apparanda et componenda toto die Indorum mulierculae occupatae sunt: eademque publice in plateis venum prostat, qua utuntur ut plurimum peregrinantes. Quin et, si Indi se inuicem uisitant, summa beneuolentiae significatione, hospitibus et familiaribus, ab hero *Arecca*, in lignea, uel apud ditiores, in aurea, siue argentea, patina, una cum folio *Betel*, et calce uiua, offertur, et (sicuti *Acta Medico-Physica*

b) *Descript. Ind. Or.* pag. 107.

fica c) huius rei mentionem faciunt,) uaſa quaedam peculiaria, ex terra Porcellanica confecta, et ad excipiendam ſaliuam deſtinata, in quas ollulas ſaliuarias ſcite apteque, tanquam per ſyringem, ſaliuam eiaculari ſciunt, ſimul apponuntur; quae etiam Belgis in frequenti uſu ſunt, et ab his *Quispedoors* uocantur. Sicuti fumo tabaci uiri, ita Indorum mulierculae hac maſticatione ualde delectantur, et plurimum temporis conſumere ſolent.

§. XVI.

Indi certis temporibus abſtinent a Confectione *Areccae*, propter folium Betel.

Quamuis autem confectionis *Areccae* maſticatio apud Indos per totum diem fere duret; attamen iis etiam quibusdam temporibus prohibitum eſt, ea ipſa confectione uti, *Betel* folii cauſa. Quamobrem huic folio ſubſtituunt uaria aromata, eaque, hiſce prohibitis temporibus, ut in funeribus amicorum, uel ſanguine iunctorum, et in quibusdam ieiunio deſtinatis diebus, ſola cum *Arecca* mixta mandunt. IOHANN. BAVHINVS, *d*) ex uerbis ALOYSII CADAMVSTI, refert, *de incolis urbis Calecut, quod hi ob funera praecipue pullam induant ueſtem, in ſpeciem moeſtitiae, temperareque ſibi ſoleant a folio huiusmodi* Betel, *ut et dentes prae ſe ferant moerorem: ſubrufo enim colori ſuccedere nigricantem.* Sed recte hic Celeberrimus IOH. BAVHINVS eodem loco reprehendit CADAMVSTVM, quod minime nigror hic dentium a *Betel* folio, ſed magis a nucibus *Areccae*, Calcisque particulis acrioribus alcalinis, dependeat. GARZIAS a HORTO *e*) de *Mauritanis* dicit, *eos publici ieiunii tempore, cum a folio* BETEL *abſtineant, ſolam* Areccam *mandere, uel purgandi uentriculi cerebrique gratia eam cum* Cardamomo *maſticare ſolere.*

§. XVIII.

Agitur de folio *Betel* et fructu *Syri Boa.*

Cum uero iam paſſim mentionem iniecerim uocis *Betel*, qua planta una cum *Arecca* Indi utuntur: nunc admoneor, quia,

c) Volum. I. in append. p. 16. *d*) *Hiſtor. Plant.* L. III. p. 437. *e*) *Libr. I. arom.* ex edit. CAROL. CLVS. p. 104.

quia tot uariae ſententiae, quid *Betel* proprie ſit, apud auctores exſtant, ut etiam pauca de hac planta dicam. Sunt quidam, qui *Betel*, pro folio *Malabathro*, uel ſic dicto Indico, habent. Nonnulli exiſtimant, peculiarem eſſe plantam, foliaque eius *Tiliae* foliis haud abſimilia eſſe. Quidam affirmare conantur, ex quibus praecipuus FRANCISC. BACON. de VERVLAMIO, *f*) *Betel* radicem eſſe, cuius continua maſticatione Indi quotidie occupati inueniantur. Quem BACONVM de Verulamio etiam ſequitur IOH. LINDESTOLPE. *g*) Alii *Betel* tanquam arborem uaſtam conſiderant, quae magnitudine pariter ac foliorum ſtructura, arbori *Canelliferae* aemula eſt; cuius fructus *Fabae Turcicae* ſimiles, oblongi, anguſtique, in longitudinem ulnae quadrantis excreſcentes, *Betel* uocantur; qui ſi plurimum maturuere, tum incipiunt hiſcere, mediique crepantes, reconditi ſeminis minuti magnum numerum ſiſtunt, qualem huius arboris deſcriptionem *Acta Phyſico-Medica h*) nobis exhibent. Alii, uti IOH. HÜBNERVS, *i*) *Betel*, Palmae generibus anumerant, et omnia ea, quae *Palmae Arecciferae* competunt, de *Betel* proferunt; itaque hi ſaltem plantam *Betel*, cum arbore *Areccifera* confundunt. Vt autem meam mentem eo luculentius explicem, nunc neceſſe erit, ut aliorum in re herbaria peritiſſimorum uirorum deſcriptionem conferam. Ita uero IOH. RAIVS *k*) tradit, *quod Betel ſit planta anadendras, arboribus ſe implicans easque circumuoluens, et ſcandens hederae modo.* Quapropter etiam ſicut Vitis, uel Piper, palis, uel aliis arboribus, eget, quibus ſe implicare poſſit. Ideo maxime haec planta *Palmae Arecciferae* adplantatur. Folia huius plantae, quae potiſſimum in uſum vocantur, ſicuti §§ antecedentibus monſtrauimus, ſunt foliis mali *Medicae* ſimilia; in ſuperiore autem parte non ita,

 ſicuti

f) *Hiſt. Vitae et mort.* p. 126. *g*) *Libr. de Venenis* ex edit. CHR. G. STENZEL. p. 566. *h*) Volum. I. in append. p. 16. *i*) *Kunſt und Handl. Lexicon* p. 270. *k*) *Hiſtor. Plant.* in append. p. 1913.

ſicuti haec, acuminata; diluto colore uiridi praedita, glabra, et ſplendentia. Haec autem ipſa folia, ſicut NIEVHOFIVS annotauit, et res ſeſe ita habet, percurrunt quinque uel ſex nerui, quorum quidam rectilineo, alii circulari, curſu tendunt. Saporis ſunt aromatici, amaritudine quadam mixti; et in maſticatione, uidetur maſticantibus aliquid arenoſi ſub dentibus eſſe. Perhibent etiam quidam auctores, hanc plantam gignere ſolere foetum, piperis figurae accedentem, quem inprimis praedictus NIEVHOFIVS *l*) ita deſcribit: *De Vrucht, die aan dat Gevvas groeit, en enig gelijkenis met de vvitte en langachtige Peper of met en Muize-Staert heft, vverd van d' Indianern Sirij-Boa genoemt.* Sed etiam de hac ſententia auctores certant, utrum planta *Betel* fructum proferat, annon? ANGVILLARA et LINSCHOTTVS negant plane, hanc plantam gignere fructum; ſed eam figuram contortam, *piperis* ſimilem, excreſcentiam in ſuperiore parte foliorum *Betel*, uel folium contortum ſaltem eſſe. Etſi etiam adhuc quidam ſunt, qui concedant, *Betel* proferre fructum, licet rariſſime; attamen in hac re diſſentiunt, et non nulli quidem recte ſtatuunt, *Betel*, et *Syri Boa*, non eundem eſſe fructum; ſed alium eſſe fructum *Syri-Boa*, alium fructum *Betel.* Quod VVALTHERVS *m*), nec non SOCIETAS REGIA LONDINENSIVM *n*) affirmare ſtudent, his uerbis: *Il y a une autre ſorte de fruit, qui les Indiens* Siug-Boa *appellé, qu'on méle avec* l'Areica, *au lieu du* Betel, *et qu'on peut ſeicher et transporter auſſi bien que* l'Areica, *qui a la meme vertu, mais qui eſt de beaucoup plus agreable au palais.* Ipſemet non poſſum non recedere ab illorum ſententia, qui tradunt, *Betel* idem eſſe, quod *Syri Boa;* cum quam maxima differentia inter hos duos fructus reperiatur. Fructus enim *Syri Boa,* quem ex liberalitate celeberrimi Domini ALBERTI SEBAE

l) *Naukeurige Beſchruving von Sina.* p. 14. *m*) *Deſcript. Ind. Or.* p. 107. *n*) *Hiſtoire* p. 202.

BAE possideo, fere cum hoc fructu, qui in *Actis Physic. med.* describitur, sub titulo fructus *Betel*, conuenit. Siquidem ille octo pollicum instar longus est, exterius subfusci coloris, crassitie digiti minoris, magis siliquam ab utraque parte alatam, pendulam, repraesentans, quam Piperis fructum: externe rugis uariis obsitus est; pediculus, cui siliqua adhaeret, articulatus est; interne autem fructus hic plus, quam sexagintis loculamentis, gaudet, in quibus singulis recondita sunt semina triangularia, inferius concaua, superius conuexa, fusci splendentisque coloris, ac saporis aromatici mucilaginosi, paululum aromatici. Figura fructus *Syri Boa* melius ex tabula aenea sub littera E. F. G. patebit. Et haec sunt, quae etiam de planta *Betel*, eiusque fructus differentia cum fructu *Syri Boa*, adiicere uolui.

§. XVIII.

Ad quae mala propulsanda Indi utantur Arecca, et quid hi fructus in arte tinctoria praestent?

Sed ut regrediamur in uiam, iam uidebimus, cur, et in quibus morbis Indi fructibus *Areccae* uti soleant? inprimis uero ii ad halitum suaueolentem conciliandum fructibus confectioneque *Areccae* utuntur. Praeterea etiam egent tali remedio uel pharmaco, quia non pauci ex Indis, propter uictum crudum, nec non propter alia assumpta fortiter olentia, anima foetida laborant. Qua de causa etiam MEISTERVS *o*) annotauit, quod nêque Indorum, neque Lusitanorum in India uiuentium uirgines, uel mulierculae, mares osculo amplectantur, priusquam sibi hoc pharmaco suaueolentem conciliauerint halitum. Ita etiam uersantes in aëre contagioso, uel iam inter infectos, ora *Arecca* replere solent; sicuti nostrates tali tempore uariis Alexipharmacis, ut radicibus *Angelicae*, *Calami aromatici*, *baccisque Iuniperi*, utuntur. Egregie etiam haec confectio, nec non hi fructus, conueniunt iisdem gentibus, ad firmandos stabiliendosque dentes.

o) *Oriental. Kunst und Lust-Gärtn.* Cap. VIII.

dentes. Quodſi autem hac confectione abutantur, uel legitimam quantitatem calcis in praeparanda confectione *Areccae* non obſeruent, eique plus, quam decet, calcis adiiciant; tum, ſicuti IACOB. BONTIVS, p) excellens ille in India *Archiater*, qui tam egregie Indorum morbos, medicaminaque morbis illis propulſandis idonea ſcrutatus eſt, obſeruauit, hac confectione dentes magis arroduntur, tantumque abeſt, ut dentes inde ſtabiliantur; potius ut citius excidant. Hinc uſu uenit, ut quidam ex Indis, qui nondum iuuentutis terminos ſunt egreſſi, inueniantur dentibus carere; in quorum uacuos loculos ditiores aureos reponunt dentes; uel cauitates, ne quid ab aſſumptis cibis incidere nouosque dolores excitare poſſit, auri fruſtulis explent. Etſi uero ſuccus extractus confectionis huius non ſolum totum os, ſed et dentes, nigredine nificit; attamen Indi hunc nigrorem amant, et, perhibente HENRICO MVNDIO, q) credunt, magno decori eſſe, dentes nigricantes habere; inprimis adultis iam Indis turpe eſſe dentes albeſcere, dum dicunt, Europaeos cum canibus ſimiisque communes habere dentes albos. EHRENFREINDIVS HAGENDORNIVS r) narrat, foeminis Iaponenſibus eſſe *Areccam* utilem, ad ruborem faciei conciliandum; igitur ab his pro *Coſmetico* haberi; ſicuti noſtrates foeminae, hac in re *Bezettis* utuntur, maresque defraudare ſolent. Nec infimum locum tenet haec confectio, uel fructus, *Areccae*, inter ea medicamenta, quae ad ſanandum ſcorbutum, exulcerationem oris et gingiuarum, laudantur. Praedictus enim celeberrimus BONTIVS ipſemet eam *Areccam* inprimis utilem exiſtimat, commendatque ad pituitam e capite eliciendam, et ad eam, quae in uentriculo eſt, conſumendam, ne uaporibus caput impleatur, unde catarrhi aliaeque fluxiones naſcantur; huiusque fructus moderatum uſum idem auctor ualde ſuadet,

p) Tract. *de Medicin. Indor*. Cap. XVIII. p. 23. q) BIOXPHETolog. p. 356.
r) Tract. *de terra Catechu*, Sect. VI, Cap. I, p. 78.

ſuadet, fumigiique uſui tabaci longe anteſert. Adhaec, ſicuti ante iam monuimus, haec confectio Orientis populis egregium tonicum, uentriculumque roborans medicamentum praebere ſolet. Non ſolum autem fructus *Areccae*, ut pharmacum, Indis quamplurima commoda affert; ſed praeterea: iis magnam utilitatem in arte tinctoria largitur, Indi enim ſicut iam citatus MEISTERVS refert, in Inſula COROMANDEL horum fructuum frequens habent commercium; quia ex his colorem purpureum extrahere callent; quo eleganti colore Lina Xylina inficiunt, quae deinde ubique hodiernis temporibus a foeminis ad pulcherrimos ueſtitus adhibentur, et, ſub uulgari nomine ZCHITSE, in omnibus fere tabernis inſtitorum uenales proſtant.

§. XIX.

Quis uſus fructus *Areccae* fuerit apud ueteres Arabes?

Ne uero quis cogitet, Indis, horumque medicis, unice uſum fructuum *Areccae* cognitum familiaremque fuiſſe; ex ſcriptis Arabum medicorum intelligimus, iampridem ueteres Arabes eos etiam ſub nomine *Fauſel* uſui medico deſtinaſſe, uariisque compoſitionibus pharmaceuticis admiſcuiſſe. Princeps ille *Arabum* medicus, AVICENNA, *s*) hos fructus, propter qualitates, et temperiem, quam frigidam ſiccamque in tertio gradu eſſe cenſuit, medicamentis infrigidatiuis, ſtypticisque, annumerauit; inde eosdem ad apoſtemata calida, et uehementes inflammationes oculorum ſanandas, accommodatos eſſe tradidit. Propter particulas autem blandaseasque excalefacientes, uirtutem roborandi iisdem fructibus attribuit, quos hunc in ſopum uariis pharmacis adiecit, ubi roborantibus leniterque adſtringentibus opus eſt. Inter alia compoſita, quae praetereo, etiam ingrediebatur celebratiſſimam ab AVICENNA habitam confectionem *Scelithe*; quae illo tempore prae aliis medicaminibus fere in omnibus morbis plurimum praeſtare credebatur. Quam autem AVICENNAE ſen-

s) Libr. II. Cap. 261.

ſententiam tantum non omnes fere Arabum medici ſecuti ſunt; ſicuti haec IOH. BAVHIN. *t*) de SERAPIONE, MAHAZER, MESVE, aliisque, teſtatur; utpote qui omnes *Faufel* fructus, frigidos ſiccosque in tertio gradu aeſtimarunt, horumque facultates, tam adſtringendo, quam roborando, SANTALI rubri qualitatibus quam maxime accedere, opinati ſunt. GARZIAS ab HORTO *u*) autem uituperat eos, improbeque illos facere cenſet, qui pro *Faufel*, *Santalum* rubrum conſtituunt; quia hoc *Santalum* plerumque alio ligno rubro adulteratur.

§. XX.

In quibus morbis Europaeorum Medici fructibus Areccae utantur?

Sed uidebimus nunc, quid Europaeorum medici de fructu *Arecca* hucusque ſenſerint. TABERNAMONTANVS, *vv*) IOACH. CAMERARIVS, *x*) aliique, tradunt, fructum *Areccam* in bilioſis alui profluuiis curandis, et in ſiſtendis reiectionibus ſanguinis, uomitibusque cruentis, item et debili uentriculo roborando, mirificam uim et efficaciam exerere. Inprimis autem citatus iam CAMERARIVS *laudat* Areccae *fructus in uini ſufficienti quantitate decoctos; decoctumque hoc prius colatum, tepideque ore detentum, ad mitigandos dolores dentium et ad gingiuam ſtabiliandam multum facere, ait.* Quod decoctum, eodem auctore teſte, utiliter adhibetur, ſi palpebrae oculorum, quae ſcabie ſint infectae, quotidie illinantur; aut ſi quaecunque oculorum inflammationes ſint curandae. Neſcio autem, quo fato fructuum *Areccae* uſus tamdiu inde neglectus fuerit? an ex penuria horum, an alia ex cauſa, determinare non poſſum. Etſi uero iidem fructus adhuc hodie quibusdam medicis quaſi prorſus incogniti, aut certe ab omni uſu remoti, et medicamentis abolitis, ac quaſi ex officinis relegatis annumerati eſſe uideantur: ſunt nihilominus nonnulli, qui magnis laudibus illorum fructuum effectum extol-

(*t* Libr. III. p. 390. *u*) *Libr. I. arom. ex edit.* CAROL. CLVS. p. m. 102. *vv*) *Herbar. Oper.* CASP. BAVH. p. 646. *x*) *Herbar.* p. 100.

tollunt. Quo nomine non poſſum non ſigillatim praedicare celeberrimos illos peritiſſimosque MEDICOS VRATISLAVIENSES, quorum eximia in artem ſalutarem merita in luce et ore omnium uerſantur. Hi *Hiſtoriae Vratisl. y*) Scriptum aliquod inſeruerunt, in quo deſcribitur methodus curandi Dyſenteriam malignam, quae anno 1719. per Menſes aeſtiuos partem Dioeceſeos Magdeburgenſis affligeret; ubi cum multa medicamina incaſſum hoc in morbo adhiberentur, inter alia remedia idonea ad morbum hunc profligandum, nominatim ſequentibus uerbis *Arecca*, et eius confectio laudatur. *Etiam hic conſpirat*, inquit Auctor huius ſcripti, *confectio illa Orientalium*, Betel Arecca, *quae leuiter adſtringendo tonum uentriculi roborat; hinc etiam illius uſus et maſticatio ſatis familiaris illis eſt. Et ſane, ſi quid optandum foret, uellem, ut, quemadmodum* Nuces moſchatae, *ita quoque* Areccae *nuces, in officinis noſtris proſtarent: ſine dubio enim in dyſenteriis a calore extraordinario in climate noſtro cauſatis cum ſucceſſu uſurpari poſſent. Proſtat quidem in officinis noſtris compoſitum*, terrae *Catechu nomine, cuius ingrediens* Areccae nucum *immaturus ſuccus reputatur; ſed crederem, ipſas nuces maturas in ſubſtantia, quemadmodum in India Orientali ita in uſum ueniunt, huic compoſito longe praeferendas eſſe. Inſuper ſciſcitandum quoque foret in poſterum, qualis* Dyſenteriae *in ipſa India Orientali medendi eſſet methodus, quae etiam forte apud nos in circumſtantiis quibusdam in uſum trahi poſſet.* Huic ſententiae adiungenda eſt ea commendatio uſus *Areccae* in eodem morbo ex ACTIS PHYSIC. MED. *z*) in quibus *Arecca pulueriſata* ad ℈j. uel ʒß. ex idoneo uehiculo ſumta, in *Dyſenteriis*, ac *Diarrhoeis*, multum praeſtare dicitur. IOH. RAIVS *a*) illam non

E

y) Breslauer Kunſt und Natur-Geſchichte 9ter und 10ter Theil. pag. 456. *z*) Volum. I. in append. pag. 16. *a*) *Hiſtor. plant.* pag. 1363.

non minus commendat ad auertendum ciborum faſtidium, uentriculumque roborandum. Praeterea Celeberrimus TEICHMEYERVS, *b*) inter ea medicamenta, quae *Stomatica* uocantur, *Areccam* refert. Fuerunt quidam ex Medicis, qui *Areccae Hypnoticam* uim adſcripſerunt; atque forſan inde uenit, ut quidam ex his plane ab huius fructus uſu abhorruerint, eamque neglexerint. Sed ſi hanc rem accuratius inſpiciamus, uis illa hypnotica minime *Areccae* illae, de qua nobis ſermo eſt, adſcribenda eſt; ſed potius immaturae Areccae, ſicuti iam annotauimus, quae, ſicuti IAC. BONTIVS *c*) tradit, ab Indis *Mabok*, tanquam ebrium, uel *Pynang Mouda*, quaſi iuuenem dicas, uocatur, *de cuius maſticatione homines ebrii quaſi a nimia potione uini rapiuntur, quod malum autem manſo paulo ſalis cito euaneſcit.* MATTH. LOBELIVS *d*) ad hanc ſententiam corroborandam exemplum narrat, de matrona generoſa Angla, utero gerente, quae cum decem uel duodecim harum nucum, ita auide comederit, ebria fuiſſet reddita. Sed quis hic non uidet, abuſum producere hoc malum potuiſſe; ſecundum tritum prouerbium: Omne nimium uertitur in uitium. Egregie etiam iam citatus BONTIVS *Areccam* defendit; abuſum uero huius fructus, his uerbis uituperat: *Dementia ſumma eſt* (inquit) *ea pro alimento uelle habere, quae medicamenti uim tantum obtinent.* Imo experientiſſimus ELIAS CAMERARIVS *e*) egregie ita de abuſu rerum diſſerit: *Adeo miſere comparatum eſt, cum homine ut, ſi quaeras, quaenam res fiant morborum cauſae, omnia in ipſius perniciem conſpirare poſt lapſum, etiam illae, quae ipſius ſanitatem conſeruant, abuſu et applicatione incongrua morborum euadere cauſas et occaſiones.*

§. XXI.

b) *Inſtitut. mater. med.* Sect. III. Cap. V. pag. 139. c) *Medicin. Indor.* Cap. XVIII. p. 23. *d*) *Hiſtor. Stirp.* p. 641. *e*) *Syſtem. Cautel. med.* p. 165.

§. XXI.

Sed ſatis dixiſſe de uirtutibus *Areccae* mihi uideor, cum ea, quae tam in ueterum, quam recentiorum, ſcriptis deprehendi, iam de iis expoſuerim. Nihil itaque ſupereſſe puto, quam ut et ea declaranda ſumam, quae ex hisce fructibus praeparantur, uſuique medico inſeruiunt. Primum quidem productum ex hiſce fructibus *Catagambra* uocatur. Sunt haec placentae quaedam, quae fere magis in officinis pharmacopolarum Belgarum, quam noſtratium, reperiuntur; quia hac in regione magis a Medicis praeſcribuntur, et inprimis ab his laudantur, in febribus acutis, nec non ad pectus demulcendum; ſi cum aqua calida infundantur, locoque infuſi *Theiformis* potentur. In quibus morbis Iaponiae incolae utuntur, latius clariusque ALBERTVS SEBA, quondam *Amſtelodamenſium* praeſtantiſſimus Pharmacopoeus, in *Actis Phyſ. med.* f) deſcripſit, unacum modo praeparandi has placentas Catagambras; qui modus ita ſe habet: *Hae placentae* Catagamber, *parantur de flore ſubtiliſſimo ſucci* Cachou Iaponici, ait ille, *quem, e foliis atque fructibus arborum* Areck *dictarum, extractum Iaponenſes certa quadam terra argillacea pingui et molli*, terrae Lemniae, *uel* Boli armenae *ſimili, remiſcent, miſtum ingentibus cupis aut doliis immittunt, et adfuſa aqua tamdiu calori ſolis exponunt, donec maſſa fermentationem concipiat: qua nata, partes ſubtiliſſimae iſtius maſſae in ſuperficie enatantes, inſtar cremoris lactis ſeſe colligunt, et accurate dein ſeparatae in modulos orbiculares infunduntur, ut aliquot dierum mora ibi ſpisſeſcant. Tum uero placentae aſſeribus impoſitae exſiccantur, atque uſui aſſeruantur, colore pariter ac magnitudine diſcrepantes. Externa earum ſuperficies ſaturate flaua quaſi cruſta obducta eſt, intus dilutior eſt flauedo.* Neſcio autem, cur celeberrimus ille uir de ſapore harum placentarum taceat;

Ex fructibus *Areccae* praeparantur placentae *Catagamber* dictae.

E 2 cum

f) Volum. IV. obſeru. 62.

cum tamen ea obseruatio non praetereunda esse mihi uideatur Ego quidem, cum eas placentas degustarem, deprehendi, has participes esse saporis paululum aromatici, aliqua tamen amaritie mixti; cui accedit, si diutius ore detinentur, blanda facultas adstringens, quae papilulas linguae admodum stimulat, mox autem perit, gratusque sapor et odor succedit. Harum nunc placentarum uirtutes praedictus ALBERTVS SEBA satis non potest laudare. Saepius etiam uidi, his placentis illum in supra commemoratis morbis periculum facere; et semper fere optatissimum praestiterunt effectum, inprimis in eiusmodi subiectis, quibus iter per mare tales morbos produxerat.

§. XXII.

Succus Cachou, ex Fructibus *Areccae* paratur.

Alterum productum ex fructibus *Areccae*, est ille succus concretus, in omnibus Pharmacopolarum sese officinis sub terrae *Iaponicae*, uel terrae *Catechu*, nomine, licet male, prostans. Quodsi uellem nunc omnes controuersias afferre, de quibus inter medicos multum iam olim concertatum est; an succus ille *Catechu*, *Lycium* ueterum sit; item, an uerus succus, an terra sit, aut an ex fructibus, Areccae, uel aliarum plantarum, uel arborum fructibus extractus sit hic succus, et quae sunt alia, certe actum agerem: quia haec dudum ab eruditissimis uiris exposita sunt quo nomine praecipue magnam laudem meruerunt, VVEDELIVS, AMMANNVS, HELVVIGIVS, et HAGENDORNIVS, utpote qui ultimus tractatum peculiarem de terra sic dicta *Catechu* conscripsit, in quo prolixe satis de natura, temperamento, patria, medicamentisque, quae ab hoc concreto sperantur agit. Ne autem plane sicco pede hasce praedictas propositiones praeteream, quaedam saltem adnotare uolo. Quod Lycium ueterum sit hic succus Catechu, id defendit HERMANNVS; *g)* et fortasse ipse AVICEN-

NA

g) *Cynosur. mater. med.* Tom, I. p. 721.

NA *b*) putauit, Lycium ex *Areccae* fructibus ſumptum uel praeparatum eſſe; quia ipſemet ſuadet, ut loco Lycii *Faufel* ſubſtitui debeat, quia eandem cum *Lycio* uim exerat. Quod autem *Catechu* non terra ſit, ex chymicis huius concreti examinibus elucet: id quod cum praedicto HAGENDORNIO *i*), BOVLDVCIVS *k*) erudite iam demonſtrauit. Quin ipſemet ex eius ſolutione, incineratione, aliisque cum hoc concreto inſtitutis examinibus Chymicis, expertus ſum, eam, falſe ſic dictam terram *Catechu*, minime regni mineralis, ſed potius uegetabilis, ſobolem eſſe. Quod autem probandum mihi adhuc ſupereſt, id eſt, ut etiam monſtrem, concretum hoc ex ſucco *Areccae* fructuum eſſe; nec obſtat, quod alii ex ueteribus crediderunt, ſuccum hunc concretum, ex peculiaris arboris *Cachou* uocatae fructibus praeparatum eſſe. Quod autem hoc non ſit, non ſolum praedictus PAVLVS AMMANVS *l*) iam cum aliis auctoribus monſtrauit, ſed et plurimi ex recentioribus affirmant, baſin huius concreti decoctum fructuum *Areccae* eſſe. Huic ſententiae accedit illud recentiſſimum ſcriptum, a iam citato celeberrimo Domino ALBERT. SEBA Phyſico medic. Actis *m*) inſertum. *Reſiduum hoc*, inquit, *illius maſſae defloratae* (Catagambrae nempe) *adhuc in cupa detentae, probe agitatum, per cribrum in aliud uas traiicitur, relinquitur tum, donec factus ſit particularum grauiorum in fundum ſeceſſus, ſupernatans inde aqua decantatur, ſedimentum in fundo exſiccatur, inque maſſulas rotundas aut quadratas coactum ulterius ad ſolem arefactum uſui ſeruatur, ſub nomine terrae Catechu.* Et haec idem auctor teſtatur, ſe referre, uti bona fide ſibi relata fuerint a uiro quodam, qui diu in Iaponia ſit commoratus. Hic modus praeparandi *Catechu* quidem ſimpliciſſimus ſine ullo ingrediente eſt: attamen etiam alii ſunt, qui dicant, huic inſpiſſato ſucco *Areccae* ſolere

E 3 Indos

b) Libr. II. Cap. 399. *i*) *in Tractatu de Catechu.* *k*) *Hiſtoire de l' Academie de Science* Anno 1709. *l*) *Manduct. ad Mater. Med.* p. 9. *m*) Volum. IV. obſ. 62.

Indos admiſcere tantillum *Cort. Tsjannae et Spinae aegyptiacae nigrae* recent. uirid. contuſ. ſecundum MISCELLAN. NATVR. CVRIOS. *n*) uel Glyzyrrhizae Indicae et Calami arom. Indici, ſecundum PAVLI AMMANNI ſententiam, ut eo melius *Catechu* fiat. Has duas ſententias, et ego negare nolo, quia aliquid eiusmodi ſubdulcis et aromatici ſaporis, in ſoluto ſucco Catechu reperitur; attamen primarium locum in huius concreti praeparatione obtinet ſuccus, uel decoctum, fructuum *Areccae*. Cum uero etiam multum ſabuli, terrae, aliarumque rerum, remaneat in ſolutione huius ſucci Catechu; inde bene annotauit hoc iamiam commemoratum Scriptum *Miſcell. Nat. Cur.* inſertum, quod, quia Indorum nationes pleraeque fraudulentae ſint, fieri ſaepius ſoleat, ut lucri cauſa ad pondus augendum ſucci Catechu, multum arenae, argillae, admiſceant, utique ſic ſub nomine *Khaath*, *Cate*, uel *Catechu*, uenditent, diſtribuantque.

§. XXIII.

De Praeparatione *Siri-Gattae-Gambrae.*

Celeberrimus RAIVS *o*), qui in arte medica, praecipue autem ſcientia Botanica, excelluit, cuiusdam alius praeparati ex fructibus *Areccae* meminit, quod praeparatum nomen *Siri-gatta-Gambar* apud Indos habet; hocque nihil aliud eſt, quam ſuccus concretus fructuum *Areccae*, cui admiſcent, ſaporis odorisque ſuauis cauſa, *Caphuram*, et quidem de *Baros*, item *Lignum Aloës* et *Ambram*; mixtumque in paſtillos, uel trochiſcos, uel tabulas, redigunt. Quo Pharmaco, ſicuti modo commemoratus auctor refert, ditiores potentioresque ſaltem Indiae uti ſolent. Videor mihi non errare, ſi hoc praeparatum idem eſſe exiſtimem, quod a Gallis *Cachou purifié* dicitur; cum eius praeparatio in *hiſtoria Academiae Scientiar. Pariſienſ. p*) deſcripta, fere priori conueniat; niſi quod hi ſucco

n) Dec. II anno 3. p. 10. *o*) *Hiſtor. Plant.* 1364. *p*) Anno 1720. p. 447.

ſucco *Catechu* purificato, praeter aromata et Ambram Sacchari tantillum adiici iubent. Illa autem *Siri-Gatta-Gambra*, quam ipſemet poſſideo, ab omni Saccharo admixto libera eſt, deſcripta et illi a *Raio*, plane conuenit. Largiter enim ambram commixtam habet, eſtque ſaporis adſtringentis, odoris autem fragrantiſſimi, ut illi, qui hanc ore tenent, poſt tres quatuorue horas ſuauem odorem de ſe ſpargant. In eadem *Siri-Gatta Gambra* etiam uariant figurae, ita, ut quaedam, pillulaeformes, aliae rotundae, trochiſcis ſimiles, aliaeque in paſtillos redactae, appareant. Illae autem, quae tabulas repraeſentant, notatae ſunt in una parte hieroglyphicis figuris, Characteribusque innumeris, haud ſecus ac uulgo ſic dictum Atramentum Indicum notatum eſt.

§. XXIV.

De praeparatione *Eſſentiae Areccae.*

Vltimam ſedem inter praeparata ex *Areccae* fructibus occupat, *Eſſentia* Fructuum *Areccae.* Quae, quia noſtris Pharmacopaeis fere incognita eſt, modum, ſicuti a Celeberrimo Domino ALB. SEBA, pharmacopoeo dexterrimo *Amſtelodamenſium*, praeparabatur, apponam. Recepit ille *Areccae* fructuum ℥iv. quos contundi iuſſit minutiſſime, quibus deinde immiſſis cucurbitae uitreae, affudit liquoris Nitri fixi ℥ij. per diem noctemque loco quieto repoſuit. Affuſo demum Spiritus Vini rectificati ℥xvj. appoſito alembico, eoque bene lutato, leni calore ignis abſtraxit, liquoris ℥viij, quem denuo affudit, et in digeſtionis gradu per 8 dies reliquit; tunc filtrauit Tincturam atrorubente colore ſaturatam, uſuique repoſuit. Melior autem hic labor procedit, ſi Spiritus Vini per 3. uices ſupra calcem uiuam abſtractus ſumatur. Haec tinctura, propter blandas particulas adſtringentes, meliori cum ſucceſſu, quam ipſa illa, quae ex ſucco Catechu paratur, adhibetur, inprimis in omnibus fluxionibus ſanguinis, nec non ad ſtomachum

chum debilem roborandum; ſi eius 50 uel 60 guttae poſt prandium in uino aſſumantur. Quibus etiam placet matutino tempore hanc poſſunt in infuſo *Theiformi*, uel potu *Coffée* tepido exhibere. Ex iisdem fructibus licet extractum quoddam parare, quod multis reſinoſis, nec non mucilaginoſis particulis gaudet, quod etiam, tam quod ad ſaporem, quam ad colorem attinet, cum ſucco *Cachou* purificato, conuenit.

Et haec ſunt, quae in praeſenti Diſſertatione proponenda duxi.

D*Um moeſti querimur triſtiſſima funera* Matris;
Fata Domus noſtrae, Frater amande, *leuas.*
Cernimus, ecce, Tibi *iam praemia grata parari;*
Praemia, quae uirtus ſedulitasque refert!
Ergo age, nunc ſolers Hygeae oracula pande;
Nunc animi cultas prome ſagacis opes!
Sic Tibi, *ſic aegris*, Indorum *proſit* Arecca!
Inualidis ueniat, Te *ueniente*, *ſalus!*

FRATRI CHARISSIMO
gratulationis ergo
dabat

IO. IACOBVS KIRSTEN,
Medic. Doct. ac Phyſiol. et Chem.
Prof. Publ.

